

Handwritten musical notation, including a treble clef and a key signature of one sharp (F#).

Mitter
Wandlung.

Handwritten musical notation, including a treble clef and a key signature of one sharp (F#).
Mitter
Wandlung.



2
Magni Turci,

h. e.

MAHOMEDIS

SECUNDI,

Turcarum Imperatoris,

quæ extant

EPISTOLÆ,

à

CL. LAUDINIO,

quondam editæ,

Jam verò

In Gratiam studiosæ Juventutis

cum brevibus notis diversisq; lectio-

nibus luci denuò expositæ


& revisæ.

LIPSIÆ,

Sumptibus Michaëlis Güntheri,

Bibliopolæ Dresdensis,

An. 1689.



ALIA HOMIE

BIS SECHS

IN

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





L A U D I N I I,
Eqvitis Hierosolymitani,
ad

Francinum Beltrandum, Comitem,

in
Epistolas Magni Turci

P R Æ F A T I O.

E Pistolas à me nuper in lucem editas, ad quem potius mitterem, Francine, quam ad te, habui neminem, in quibus non tam mihi laus scribendi, quam voluptas quaesita est. Nam cum mei gratiam colligendi Cicianum, Campaniae opidum (a) secessissem, has quidem per ocium minus accuratè scriptas edidi; ut & tibi solitudinis & studiorum rationem non invitè

A 2

red-

redderemus. Commentarios vero, quos olim ad summum Pontificem scribere aggressus fueram, ut in aliud tempus remitterem, suscepti operis magnitudo effecit. At scio, me tamen hac in re multorum maledictis exponi. Adeo perversa hominum ingenia sunt, ut nemo ex conscientia recti, sed frontis arbitrio quisque judicet. Sic ubi jam pridem verum amisimus, hoc de me posteris iudicium relinquo: Nunc pueri nasum (b) Rhinocerotis habent.

Argumentum Epistolarum.

MAhometes Turcorum (c) Imperator, cui postea ex magnitudine rerum gestarum Magnus Turcus cognomen (d) fuit, cum Asia potiretur, exauctis (e) paterni regni viribus, in Europam copias ingentes per Hellespontum classe trajecit, quibus mox Byzantium, (f) nobilissimam Constantinensi urbem,

Magni Turci.

vi captam expugnavit. Mysiam vero utramque, Galathas, Thraciam, Achajam, Peloponesum, Acarnanas, Ætolos, Ambraciam, Epirum: atque omne Illyricum latus in potestatem redegit. Asiæ vero minoris regna circiter duodecim obtinuit: Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphyliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, atque omnem Hellespontum, quibus imperavit. (g) Epistolas vero ad innumeras orbis gentes plurimas dictavit, partim Syro Græco sermone compositas: partim etiam Scythicâ lingvâ scriptas: quas quidam LAUDINIUS (h) eques Hierosolymitanus, (i) earum post sententias affecutus, Latinas edidit.

I.

Turcus Zancassano (k) Regi Persarum.

AUDIO, te ad Leptam, Euphrate superato, copias ingentes tra-

A 3

je.

jecisse, quibus mox Parthorum fines ingressus omnia belli incendio late vastaveris, ac tuorum impetu facto exercitum in Armeniam traduxisse: (1) atque post urbium direptiones, vicos, oppida & agros in praedam militum divisisse. Te quidem miror, non victoris animum, sed praedonis ostendere. Nos tamen ex omni Graecia delectu habito, adversum te configere paramus: ut aequis viribus cum hoste contendas. Turpissimum quippe ducimus; maximos atque opulentissimos Reges latronum bella imitari.

II.

Zancassanus Turco.

CUM sub radicibus Tauri castra posuissem, mox ad Ctesiphontem (m) oppugnandam cum exercitu magna celeritate contendere: fines praeterea Armentorum late depopulatus, ut metu nobis omnia
pa.

parent, Quo magis miror ipse,
ex quo (n) belli jure tot ac tanta ges-
simus, abs te factum meum accusa-
ri. Non enim ex hoste laudem, sed
victoriam quaerimus.

III.

Turcus Zancassano.

Ad Ciliciae angustias cum exer-
citu perveni: quo in loco Da-
rium (o) Alexander magnus
memorabili clade superavit. Nec
aliam nobis fortunam belli pollice-
mur: qui Alexandrum felicitate ac
rerum gestarum gloria aequavimus.
Non enim multitudine imperita res
magnae geruntur: sed in virtute
paucorum victoria sita est.

IV.

Zancassanus Turco.

Cum ad vires ipse meas respi-
cio, ac magnitudinem rerum
gestarum, quibus Deos immor-
tales felicitate aequavi; temerarios
qui-

quidem tuos apparatus minimi duco, qui eo semper usus sum invictissimo exercitu: cujus virtute regum fortunatissimus appellarer. Bactrianos (p) omnes, Persas, Medos, Armenos, Parthos, ac universum penè orientem armis subegi: solusque post Alexandrum bella gentibus indixi. Tu verò superiore loci fortuna ad Ciliciæ angustias gloriari desine. Indus Elephas Cullicem non timet. Nec verò tam difficile quicquam est, vel arduum, quod non pertinax militum opera expugnet. Virtus profecto nihil invium (q) habet.

V.

Sexuares, Rex Armenia, Turco.

ORatores nostros ad Zancassanum misimus Ctesiphontem (r); qui apparatu incredibili Mesopotamiam ingressus Babylonem & Carras magnâ vi oppugnare contendit. Syriam præterea omnem

omnem & Ægyptum in prædam sibi destinavit. Nusquam adeò innumerabiles copias, tamq̄ve ingentes exercitus in unum coactos esse memoriâ proditum est: ut Xerxem, Darium, Pyrrhum (s) & Alexandrū magnitudine virium (t) facile superârît. Accedunt his millia equitum sexcenta, ac totidem pedum. Apparatus verò bellimagnificus & locuples; Tentoria gemmis ac vario lapillorum genere distincta regiam supellectilem ostendunt. Pellices in contuberniis (u) ultra septingentas totidemq̄ pueros, adesse memorant. Eunuchi prætereà cum metatoribus (x) impedimenta secuti ad sex millia referuntur. Arma etiam cuiusque generis ad usus castrorum affirmant; Gallicos thoraces, Numantina Hispanorum scuta: Latinas ocreas: Sagittas Cydonum Crentenses: arcus Parthicos: & Ægyptiorum sarissas. Hæc tibi omnia

A 5

per

per speculatores nostros quàm diligenti-
 gentissimè cognita nunciamus.
 Qvis enim adversus eum temerè
 quicquam audeat, qui cum Diis
 ipsis de Imperio certare videatur?
 Aut quisnam rebus suis consulere
 sedulò non (y) labore, ob incuriam,
 facilè perituris?

VI.

Turcus Sexuari.

QUÆ nobis de apparatu Zan-
 cassani per legatos significâ-
 sti, militum quidem nostro-
 rum animos auxêre: quibus ad diri-
 pienda hostium castra spes longè
 melior ac belli fiducia major acces-
 serit. Pellices verò, gemmas atqve
 exercitus ornamenta nihil ad victo-
 riam conferre existimo. QUÆ cum
 hostibus impedimento sint: (z) ut-
 pote lascivæ Veneris facilia arma,
 vanæqve divitiarum ostentationes:
 nostrorum potius animos ad præ-
 dam accendere videntur. Nec ta-
 men

men de apparatu regio, nec deliciis contendimus: sed de victoria ac militum virtute, quibus regna parari solent. Copias in super, quas ad eò innumerabiles recensuisti, facile contemnimus, exemplo Alexandri Magni, qui militum suorum acerba paucitate promiscuam Darii multitudinem strenuè superavit. Nimirum ideò: quoniam imperita multitudo ad fugam promptior est, quam ad victoriam.

VII.

Soldanus (b) Turco.

CUM tot usque victorias & rerum gestarum magnitudinem ipse de te audiã: nullã quidem ratione satis adduci possum, ut credam, hæc vel tuã vel militum virtute geri: sed fortunã profectò, quæ in omni re dominatur. Neque tamen ipse tuis laudibus in video. Quis enim virtutem etiam in hoste non probet? Sed ea quippè est rerum

humanarum imbecillitas: ut nisi cuncta fati necessitate regantur, fortunæ potius omnia ludibrio exposita sint: quàm aut (c) prudentia hominum, aut consilio rectè gubernari queant.

VIII.

Turcus Soldano.

Longè quidem aberras, si eos, qui res consultò agunt, fati omnia credere existimas. Virtus profectò nunquàm fortunâ regitur: sed ratio ipsa animi est, quæ in cunctis dominatur, & quæ cæteris animantibus ad Deos propiùs accedimus. Tu verò (d) eorum, quæ tot ac tanta gessimus, rationem accipe. Si nobis speculatores & vigiles non defunt: nobis etiam miles veteranus adest: si tyro quivivis ex omni numero delectus: prætereà exercitus ingens vincere assuetus, vinci verò nunquàm: & qui longas hyemes sub pellibus durissimè agat: ac maximis sæpè itinere-
ribus,

ribus, periculis, laboribus & vigiliis,
terrâ mariqve expositus: nulla-
qve bellandi intermissione fatiga-
tus: Cujus acies nunquam loco
cesserit: nec porrò (s. pedem referre
audeat: qui frigoris, æstus ac inedia
patientissimus: nec fractus in ad-
versis, nec in secundis elatus; Qui
mala postremò omnia virtute su-
peravit: & longinqua domo mili-
tia tot innumeras orbis gentes & in-
credibiles sæpè hostium exercitus
fuderit: cujus ipse gratia universi
penè orientis Imperator constitu-
tus sum. Si hæc igitur omnia fortu-
nam vocas, & casu evenire putas: fa-
teor, cuncta equidem fortunæ ludi-
brio agi.

IX.

Turcus Pontifici Romano. (g)

COrinthum urbem Achajæ no-
bilissimam, Ætolos, Acarna-
nes, Macedoniam atq; omnem
Peloponnesum armis invasimus: vi-
cos præterea, agros & oppida late

incendio depopulati: ut mox in Italiam bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum summo Christianorum metu ac detrimento nunciamus.

X.

Pontifex Romanus Turco.

Quod Græciam omnem ferro igniq; vastaveris: non tam crudelitatem in hac re tuam, quàm tot urbium direptiones ulcisci paramus. Neque etenim victor hostibus ignoscere poteras, qui tuis etiam immanitate, scelere atque libidine nunquam pepercisti. Nec enim pium fasvè quicquam apud homines esse potest, cui neglecta religione Deus in contemptu sit. Nos tamen nullum à te bellum in Italia metuimus. Facile enim scelerata hominum arma contemnit, qui DEI numine ac præsidio tutus est.

XI.

X I.

Turcus Pontifici Romano.

FRustrà per Deos immortales nobiscum agis: qui nec tecum de pietate, nec de religione, nec iustitia, sed de imperio contendimus. Uter armis victor extiterit, justior eidem belli causa debebitur. Crudelitatem verò, uti etiam scelera (quæ duo nobis gravissima objecisti) ideò in captivos exercemus: ut eum esse me, re quidem experiantur, quem verbis homines prædicant.

XII.

Pontifex Romanus Turco.

ET si tecum nobis justissima belli causa est: non pari tamen scelere, vel (h) etiam ipsa libidine regnandi, sed pro tuenda hominum libertate arma sumimus. Quis enim mores tyranni perditissimos æquo animo ferat? Nam quod plerumque in cæteris usu venit: ut
vel

vel metu, vel odio, nonnunquam
etiam irâ in subditos acerbiores
reddantur. Ipse omnibus spontè
immanior es, qui crudelitate potius
quam victoriâ gloriaris: ac eâ (tan-
quam parum sit admisisse,) captivis
etiam semper calamitates expro-
brâsti. Meritas igitur pœnas exsol-
ves. Ultor enim scelerum DEUS
vindiçtæ tarditatem supplicii gra-
vitate compensat.

XIII.

Turcus Venetis.

AD Patras ingenti cum exercitu
veni. Vidi & vici. Hæc vobis
cum maximo Reipublicæ de-
trimento nunciamus.

XIV.

Veneti Turco.

NEc belli usu, nec virtute mili-
tum, sed fortunâ nos ad Patras
superâsti. Quæ cum minimè
sit in potestate hominum sita, ean-
dem ipse rerum vicissitudinem, quâ
nunc

nunc levissimè omnium stolidissimus gloriaris, expecta. Parum enim laudis victoria habet, in quâ plus fortunæ ludibrio actum est: quàm hominum virtute seu consilio provisum.

XV.

Turcus Græciæ Magistratibus.

Non pigebit vos tandem ab armis discedere, quos toties à me victos acie, bellum adhuc reparare audio. Victores enim arma decet inferre: Victos autem obtemperare legibus. Tutius igitur vobis esse ducimus: æquas pacis conditiones accipere, quàm si rursùm à me bello superati, pacem simul & arma amiseritis. Nam fera nimis est post Cladem (i) delibetatio.

XVI.

Græciæ Magistratus Turco.

Nec prius ab armis discedemus, quàm tecum bello congressi propul-

pulsemus injurias, quibus nos abste victos fuisse toties tuâ ex demêtia(k) gloriaris. Dubios enim rerum eventus & communem belli fortunam non ignoras. Pacem verò, quam ut victis obtulisti, recusamus. Minimè quidem rei gerendæ consilia, apud hostes quærenda sunt.

XVII.

Turcus Venetis

CLasse vestrâ, quam ad belli navalis usum maximam comparâstis, Lyciæ maritima infestari audio: ac vos latè regni mei fines depopulatos. Athaliâ, Pamphiliæ urbem, armis circumfedis. Videte, obsecro, quos tandem exitus hæc habitura sint. Aliena temerè oppugnat, qui agrè sua bello tuetur. Vos namque post amissam Calcidem, servare potius rempublicam ac nominis dignitatem retinere oportet, quam armis imperium quærerere.

XVIII.

XVIII.

Veneti Turco.

NEc Peloponnesus, nec Chalcis, jampridem bello amiffæ, nos ab oppugnatione deterrent: quas non ipsa virtute, militum, nec viribus expugnatas, sed facta nostrorum deditio in potestatem redegit. Nos tamen, qui non armis perfidiam, sed victoriam quærimus: omnia tuis infesta terrâ mariqve classe reddidimus. Nihil enim ad generosi Principis animum virtutis accedit: qui non jure belli captas urbes, sed infidiis proditas in deditioem accepit.

XIX.

Turcus (1) Genuensibus.

AUDIO Menedorum, vestros apud cives, gravi mei nominis contumeliâ sæpè concionari: tanquam nos injuriâ aliquâ maledicendo afficiat. Erratis vehementer, non enim maledictis vobiscum,

cum, sed armis contendimus. Atque is de se facile rumores in hoste contemnit: qui regnandi libidine nullam jampridem apud homines infamiam declinavit.

XX.

Genuenses Turco.

Nec Patrum auctoritate Menendorus, nec urbis decreto cives te nostri probris omnibus insectantur: sed privato quodam & inexpiabili odio, quo tibi omnes ad injuriam provocasti. Nos vero non maledictis injurias, sed armis propulsamus. (m) Parum tamen, nostram sententiam, rei conducit, qui de te ferantur in concionibus rumores. Nullam quidem honesti rationem exigit vitæ malè actæ turpitudō.

XXI.

Turcus Nariciis.

Dementiam vestram, non belli metum accusamus, Naricii, qui

qui â me vobis arma ultrò inferri
persvasi estis, tanquam nunc sibi in
mures prædam leo meditetur. Non
pudet igitur vos culices in Elephan-
tem configere?

XXII.

Naricii Turco.

UTinam vilis prædæ Naritios
contemneres, ipsi enim ad vi-
res parum tuas respiceremus.
Sed nobis (n)ignosce tot mala in ho-
ste perpeffis. Nos quidem præterita
futurorum rationem habere com-
pellunt.

XXIII.

Turcus Corcyrensisibus.

FAssi mihi estis injuriam Corcy-
renses, qui Ambraciæ fines & la-
tè Acarnanum agros depopula-
ti, omnia in prædam diripuistis:
cum tamen ipse vobis toties antea
ignovissem. Sed qui prius injurias
intulêre, graviores ipsi expectent,
neceffe est.

XXIV

XXIV.

Corcyrenses Turco.

ERras vehementer, si nos tibi
 factos injuriam tantum existi-
 mas, nec tuorum clades & belli
 detrimenta retulisse. (o) Nos ideo ad-
 versum te prius arma sumpsimus, ut
 graviora in hostem moliamur. Ne-
 que enim tyranni crudelitatem fer-
 re aequo animo possumus: qui nul-
 lo immanitatis, scelere ac libidinis
 genere omisso, vim omnibus attu-
 lerit.

XXV.

Turcus Regi Cypriorum.

AD Kalendas Sextiles cum
 exercitu in Ciliciam perveni:
 ut Tarsum, (p)urbem opu-
 lentissimam, expugnarem. Lupum
 vero, classis tuae legatum, non longe
 a Phreatis (q) captum occidimus. Tu
 igitur, qui paternum Regnum ade-
 ptus es, nunc fortunae levitatem

me.

metue. Nihil in humanis rebus
diuturnum atqve idem felix esse
potest.

XXVI.

Rex Cypriorum Turco.

Cum bello Cyprum repete-
rem, nullis paterni Regni vi-
ribus hostem ad Ceraunia
vici, qui tunc meorum ope destitu-
tus, apud Carras exulabam. Mox
tamen insulam parvâ manu ingref-
sus, incredibiles hostium copias su-
peravi: ut me quidem omnes Eva-
goram antehisse prædicarent. Nos
igitur omnia consultò gerimus ac
militum virtute: nec tam benè ge-
stis gloriamur, quàm futura provi-
demus. Tibi verò præsertim for-
tuna longè metuenda est, qui tot
rerum successibus ac nimia usus fe-
litate videris. Nam omnia fatis
committere, non tam homini incer-
tum est, quàm sæpè temerarium.

XXVII.

Turcus Methonensibus.

NEc urbem vestram, Methonenses, oppugnare, nec tamen ab exercitu nostro tutam esse volumus, donec belli diuturnitate cives in odium arma verterint. Sic enim valetudine semper adversa laborantibus, mors certè langvoris tadio exoptatior est, quàm vitæ longitudo.

XXVIII.

Methonenses Turco.

PArvi quidem semper arma fecimus, quæ ignavis terrorem, fortibus vim nullam afferant. Tu tamen esse de nobis sollicitus desine, qui sine hostium consiliis adversa perferre didicimus. Scito prætereà, nunquàm arma in odium verti, quibus adversus Tyrannum, patriam, libertatem, parentes ac liberos egregii cives tueantur.

XXIX.

Magni Turci.

25

XXIX.

Turcus Coronensibus.

Non pudet vos, Coronensēs, ter
ad Mantineam acie superatos
vires & exercitus reparare. An
ne ideo bellum semper geritis, ut
vinci toties serò (r) pœniteat. Si
verò pacis obtinendæ gratiâ in nos
arma sumpsisti, timori vestro
ignoscimus; Si rebus afflictis, vin-
cendi spe, insaniam accusamus.

XXX.

Coronenses Turco.

Qui bellum toties in hostes mo-
liuntur, pacis se quidem longè
omnium studiosissimos declarant.
Pax verò nulla civibus aut securitas
reddi potest, nisi pugna cum hosti-
bus commissâ. Nam belli semper
& pacis arbitria in victoriâ posita
sunt.

XXXI.

Turcus Florentinis.

Mercatores vestri, qui Galatis
& in Ponto negotiantur, ad
B NOS,

nos, cū essemus Thessalonicae, oratum misere, ut illis vectigalia à publicanis & commeatus omnes liberi essent. Nos igitur, quibus nihil pulchrius est, quàm in amicos liberalitatem ostendere, vestros cives libertate donavimus. Nam qui benè meritis de se beneficium contulit, is non tam aliquid exhibere, quàm referre gratiam videtur.

XXXII.

Florentini Turco.

Beneficiorum magnitudine à te profecto superamur, gratitudine verò animi nequaquam. Nam dignum te aliquid in cives nostros contulisse, id quidem multi fecimus semper: nos verò majora tibi viribus referre pluris hoc esse ducimus. Non magnitudine rei beneficium, sed voluntas animi officio pensanda est.

XXXIII.

XXXIII.

Turcus Ponticis.

NAves, onerarias, quibus veluti propugnaculis maria infestabantur, captas in Ægæis ad vos remisimus, neque tamen per Deos immortales, ut aliquid ad gratiam contulisse videamur. Nobis quippe multo gloriosius est, liberaliter in omnes plura conferre, quam accipere.

XXXIV.

Pontici Turco.

Liberalitate in omnes uti, quid hercule aliud est, quam hominum gratiam promereri? Tu verò, navibus ad nos remissis, ex hostibus jam pridem, nunc belli socios reddidisti. Adeo pulchrum est injurias in gratiam commutare.

XXXV.

Turcus Cretensibus.

Turpe quidem nobis est, Cretenses, amicitiam colere, in

quâ bellum potius adversus nos, quam pacem ostenditis. Sed videte, quæso, ne vobis temerarium sit, eos mox, ut hostes formidare, quos prius socios nullo jure contempnissetis. Multos enim sæpè conatus sui poenituit.

XXXVI.

Cretenses Turco.

ET vim vi repellere, ac dolum dolo necere, nobis semper majorum instituto licuit; Neque tamen amicitiam violamus, si inimicorum iniurias ulciscimur. Sed quonam pacto tu à nobis fidem exigis, quam ipse nemini unquam antea præstitisti?

XXXVII.

Turcus Chii.

TRibuta vobis, Chii, remisimus. Nam cum vestrorum erga nos meritorum magnitudinem respiceremus, vos quidem esse iustumus immunes. Non enim ab ami-
cis

cis pecuniarum, sed fides exigenda est.

XXXVIII.

Chii Turco.

Non quod pro tua erga nos liberalitate optavimus, id enim votis minime assequeremur; Sed quod valuimus, gratias tibi immortales habemus & habebimus (f) impofterum. Ubi hoc nobis solatio est quod facultate ab amicis, non liberalitate vincimur.

XXXIX.

Turcus Epidauris.

ABydæos, Phrygas & Dardanos, maris antea prædones, nunc classe ad Mylas interceptos, ac variis cruciatibus enecatos audio: id quidem à vobis jure belli factum existimârim. Liburnicas tamen ac biremes incendio absumpsisse turpissimum ducimus. Non enim bellum vobis cum navibus, quæ nihil

sentiant, sed cum Rectoribus (t) suis gerendum est.

XL.

Epidaurii Turco.

ET piratas jure belli captos & liburnicas incendio absumpsimus. Illos quidem, quod nos sæpè incursionibus infestârunt; Has verò, quod latrones finibus nostris invexerant. Par ergò duximus, naves cum rectoribus suis incendere, quæ prædam nostrorum ac spolia in Asiam avexissent. Armeni enim, quibus oppugnamur, pro hostilibus (u) habenda sunt.

XLI.

Turcus Nauplensibus.

Non cessabitis ab injuriâ, Nauplenses, qui fines Achæorum ingressi multos crebris excursionibus mortales in prædam abduxistis. Quo pacto enim fieri potest, ut, qui metu clausi premuntur obsidione, victoris agros

agros & opida latè incendio vastaverint. Serò patriæ consulere videntur, qui desperatis rebus conantur extrema.

XLII.

Nauplenses Turco.

ET patriæ imprimis, ac civium saluti, quibus omnia debentur, vitam objecimus. Aut enim pro defensione reipub. salva nobis libertate, honestissimè cadendum est: Aut, depulso Tyranni jugo, pristinam retinobimus libertatem (x). Nihil verò pulchrius esse ducimus, quàm parentibus, liberis, rebus postremò omnibus patriæ libertatem antepondere.

XLIII.

Turcus Pannonis.

Virtutem vestram, Pannonii, etsi bello maximam sæpè declarastis, plus tamen vobis incommodi attulisse, quam boni quicquam

quam, usu didicistis. His verò, qui majores viribus animos gerunt, semper affuit (y) in bello temeritas.

XLIV.

Pannonii Turco.

Nec belli à te consilia, nec armorum, quibus oppugnamur, rationem ab hoste exigimus. Satis prudentiæ quidem (z) gerendis rebus habere existimantur, qui virtute animi & constantiâ victoriam sibi cum laude pepererunt.

XLV.

Turcus Macedonibus.

Legati ad me vestra mandata, peritulerunt, quibus nos ad odium potius, quam ad gratiam provocastis. Vos enim toties victos & supplices decere magis videbatur, pacis condiciones recipere, quam ferre (a) impudentius. Turpe quidem est (b) calamitatibus affectos superbe cum victoribus agere.

XLVI.

XLVI.

Macedones Turco.

Nulla tecum nobis ex aqvo pax esse potest, quo tueri patriæ libertatem studemus tu verò armis imperium quærere. Nec tamen nisi constanter & ingenue de republica loqui possumus, qui pulchrius libertate nihil apud homines esse ducimus. Commune hoc tyrannis vitium est, ut gravi semper odio liberas civitates insequantur.

XLVII.

Turcus Asiaticis.

Oratores vestri apud Zizicum legationem exposuêre, qui re ipsa vos hostes, verbis socios ad arma ostenditis. Aut igiturnaves longas quàm primum nobis subsidio mittatis (c) aut bellum eligatis. Neq̃ enim verbis semper amicorum voluntas, sed cum facto

B 5

opus

opus sit, tùm maximè rebus decla-
randa est.

XLVIII.

Asiatici Turco.

QUod multa coram per lega-
tos pollicemur, re autem
per pauca exhibemus, alte-
rum grati est, animi alterum inopiæ
adscribendum. Munera verò ad
te per Nearchum misimus, quæ si
tuis animis fortassè minora vide-
buntur, nostris tamen viribus ma-
jora fuisse existimabis.

XLIX.

Turcus Bithynis.

NEC ad belli usum naves, nec pe-
cunias in tempore misistis.
Tarditatem igitur vestram ac-
cusamus. Videte, obsecro, ne vo-
bis infensi reddantur, quos per ne-
gligentiam contemnere videmini.
Præstat enim, voluntaria semper in
hostes arma sumere, quàm multò
post (d) ad bellum cogi.

L. Bi.

L.

Bithynii Turco.

Naves ex omni numero viginti nuper incendio consumptas amisimus, reliquæ verò ad Maleam partim illis scopulis, partim etiam absorptæ profundum (e) in hostium conflictu periêre. Pecunias verò omnes belli diuturnitate exhausimus, ignosce igitur tot fortunæ calamitatibus affectis. Nullâ enim liberalitate uti possunt, qui extremâ rerum inopiâ laborant.

Ll.

Turcus Delphicis.

Nec Apollinis vestri oracula, nec medicinæ autor Æsculapius vos omninò ab insaniam (f) liberabunt, qui rem adeò inconsultè gessistis, ut ne Minerva quidem ipsa consilium vobis in tanta dementiâ afferre queat. Nam corporis sæpè langviores ope adhibita

bitâ curantur, morbo vero animi vis
nulla mederi potest.

LII.

Delphici Turco.

Sapientia quidem à rebus geren-
dis plurimum distare videtur.
Nobis tamen, quod & medicis,
plerumq; evenit, qui aliorum mor-
bos ad sanitatem perducunt, sibi ve-
rò nequaquam medentur.

LIII.

Turcus Pergamenis.

Expeditionem adversum Euboï-
cos, Pergameni, suscepimus,
vos ideo nobis ad Marathonas
occurrere iussimus, ut, qui vestram
semper erga me fidem opportunè
declarastis, nunc etiam, cum opus
sit, celeritatem ostendatis. Duplex
illis gratia *g* debetur, qui in dando
non solùm beneficio liberales, sed
etiam promptissimi in exhibendo vi-
dentur.

LIV.

Pergameni Turco.

Classe ingenti ad bellum proficiscimur: ut vires non solum tuas augeamus, sed & Calcidenfes fortiùs oppugnentur. Illis autem gratiæ nequaquam habendæ sunt, qui, cum possint, quod jure debent, liberaliter exhibent.

Turcus Mitylenæis.

Fides vestra, Mitylenæi, etsi omni tempore nobis perspecta est, nunc tamen eam maximè declarastis: (h) quum quidem urbis portas hostibus occlusisse audio. Non enim aliorum perfidiam libenter imitamini, qui novis semper rebus student. Adeò pulchrum vobis est, amicitiaë jura simul tueri, atq; armis patriam defendere.

Mitylenæi Turco.

Mitylenæi, quibus, extincta omninò republica, sub (i) ty-

rannide perpetuò agendum est, fatius in potestate unius esse duxerunt, quàm multorum regna experiri. Fidem igitur nostram in hac re non tam probare debes, quàm admirari prudentiam. Non enim eos libentes imitamur, qui morbo incurabili laborantes, multos sibi medicos adhibent, nullam tamen ad crebra remedia corporis valetudinem recipiunt.

LVII.

Turcus Amazoniis.

SI pro tuenda civium libertate, Amazonii, bellum adversus me susciperetis: non tam vos ipse hostes judicarem, quàm egregios cives, pro patria, liberis ac parentibus arma sumfisse. Sed nulla ratione persuaderi valemus, eos nunc virorum imperia recusare, quos olim regna foeminarum tamdiu pertulisse audio.

LVIII.

LVIII.

Amazonii Turco.

A Mazonidum regna, quæ nobis ad contumeliam objicere videris, nos minimè aliis parere hortantur. Turpissimum quippe ducimus, viros fœminarum virtute (k) superari. Eos igitur invictos armis & principatu dignissimos arbitrare, apud quos etiam mulieres imperare didicerint.

LIX.

Turcus Illyricis.

N Ec urbem vestram armis tueri, nec diutius obsidione premi sustinetis. Aut igitur victis leges accipiendæ sunt, aut arma tyranni propulsanda. Dementium sanè est, omnibus sociorum auxiliis atque ope destitutis, cum Republicæ detrimento bellum protrahere.

LX.

LX.

Myrice Turco.

CUM nobis semper animus ad
retinendam libertatem affuis-
se. non ignores, spes adhuc no-
stras libenter amplectimur. Neque
verò in deterius tibi fortuna pot-
est, ubi afflictis rebus opem afferre
nequeas.

LXI.

Turcus Rhodiis.

SI vobis eadem, quæ animi est,
virium quoque magnitudo (1)
esset, vos longè quidem invi-
cissimos ducerem. Sed cum viris,
eqvis, armis, pecuniis & com meatu
bella parentur, vestram magis for-
tunam respicere oportet, quam nos
temerè in pugnam lacessere. Mini-
mè enim per ratio videtur, hostem
posse animis, atque eundem viribus
superare.

LXII.

LXII.

Rhodiis Turco.

ET vires nobis atque animos semper affuisse, multis ac maximis tuorum cladibus non ignoras, omniaque ad necessarias rerum usus abunde comparavimus, ut non minus domi Rhodiorum prudentiam, quam foris in bello magnitudinem animi admirare. Nos vero, et si armis inferiores sumus, a te profecto fortunam, non virtute superamur.

LXIII.

Turcus Rhodis.

AUDIO vos, Rhodii, nunc fossas urbis ingentes, ac triplici vallo muros circumduxisse, portus vero geminos ad Mandrachium Colossi ferreis arctasse catenis, ut civitas ab incurfu hostium libera sit, & nos ab expugnatione vestri deterreamur. Res profecto memoratu dignissima. Quid enim pulchrius

chrius, quàm libertatem, patriam, liberos ac parentes, (servata republica) armis defendere? Sed quis vobis animus est, per Deos immortales, tam ingenti apparatu nostris viribus terrâ ac mari obsistere? Post Byzantium enim Lesbum, Peloponnesum & Chalcidem expugnatas, vos aliarum potius urbium fatum decet imitari, quàm exemplum cladis præbere. Nam qui viribus majora audent, temeritatis quidem pœnas sæpè dederunt.

LXIV.

Rhodi Turco.

GRæcorum nobis captivitatem non tam commemorare debes, quàm nos aliis in exemplum virtutis referre, qui justiore belli causa meliorem quoque rerum fiduciam gerimus. Te verò semel ad Choum, (*m*) bis armis ad Calymnum urbem vicimus. Soldani quoque, Babyloniorum regis, vires & ar-

& arma oblessi profligavimus. Ægyptiis verò, Syris & Phœnicibus navarchæ Rhodii bellum sæpè intulerunt. Noli igitur adversum innumeras orbis gentes victoribus fiduciam nobis exprobrare: quùm aliorum potius adversum te animos virtute nostrâ augeamus, quam ex captivorum commemoratione terreamur.

LXV.

Turcus Epiriis.

DYrrhachium, Apolloniam, atque omne Illyricum latus ab exercitu nostro infestari, nuper ex legatis Molossorum cognovimus, qui & viarum angustias latronibus obsideri, nihilquè intra Macedoniam tutum esse retulerunt. Nos verò, Epirii, jam pridem fati omnia credidimus (*n*) ac jus in armis experimur. Quamobrem pristinæ virtutis memores decere vos magis arbitror, acceptas ulcisci injurias, quam de iis frustra per legatos

tos

tos verba facere. Non enim oratione, sed bello, vis hostium propulsanda est.

LXVI.

Epi. ii Turco.

SI nobis id quidem armis licuisset, acceptas ab hoste injurias ulcisci malleamus, quam de his tecum, per legatos aere. Sed cum nullis viribus id ass qui valeamus, satius quidem esse duximus, pacem ab hostibus petere, quam bellum frustra moliri. Nam rectè omnia consiliis providisse non tam prudentiæ debet, quam fortitudinis, videri.

LXVII.

Turcus Dalmatis.

TRibuta vobis imperavimus, quæ cum sero nimis exhibeantur, officium vos facere (o) invitos ostenditis. Aut igitur fidem vestram, cum opus sit, re nobis comprobate; Aut bello vos hostes de-

declarabimus. Minimè enim decere videtur in amicitia dissimulatio.

LXVII.

Dalmatæ Turco.

Tarditatem minimè nostram accusare, sed inopiam debes. Nullo enim pacto exhibere tributa possunt, qui nullam cogendi pecunias facultatem habent. Quamobrem minimè hostes iudicandi sunt, qui fide tantum in amicos, liberalitate vero nulla, ob inopiam, utantur.

LXIX.

Turcus Apulis.

Brutiorum urbes atque omnem Latè Apuliam jure belli repetimus, qui, ut Græcos armis subactos nostro adiecimus imperio, nunc eam quoque Italia oram armis invadere paramus, quæ magna quondam Græcia vocitata est. Vos
igi.

igitur, Aborigines vestros pulcher-
rimè imitati, deditiōnem facite.
Turpe quidem videtur egregiis ci-
vibus, ab instituto majorum ac pa-
triæ legibus desciscere.

LXX.

Apuli Turco.

Qui omnia ex libidine agunt,
jus, sibi quod est, in armis ef-
se declarant. Tu verò, etsi
nos Græcorum calamitatem sequi
jubes, non tam nobis eorum leges,
quàm regnum persuadere niteris.
Sed nullo pacto fieri potest, ut tibi
cæteris ad gratiã promptiores red-
damur, qui captivos, omnibus à te
suppliciiis affectos, inter varios cru-
ciatus crudelissimè enecasti. Facile
enim clementia, liberalitate & ju-
stitia regna parari solent; difficilli-
mè (p) verò sub tyrannide armis
retineri.

LXXI.

Turcus Brundusinis.

Por-

Portus nobilissimi ad navium receptacula, atque urbis vestrae situm, ex legatis Messapiorum cognovimus, vos idcirco, cum Hydruntinis, belli socios nobis ad arma pollicemur. Copias namque in Italiam trajicere paramus, quibus, ingenti comparato exercitu, victoriam consequamur. Minime igitur eum vos decet aspernari, quem ob justitiam sui diligere possint, atque hostes ob arma formidare.

LXXII.

Brundisini Turco.

Non pudet eos te belli nefarii socios in arma evocare, quos semper hostes omnium acerrimos habuisti? Detestanda quidem arma tyranni sunt, cui post victoriam inter crudelitatem, scelera & libidines, à captivis (q) mox servandum est.

LXXIII.

LXXII.

Turcus Syracusanis.

AUd o vos, Syracusani, cum Agrigentinis, Messaniis & Cataneis adversum nos, pro restituenda Græcorum libertate, conspirasse. Nos idcirco ex Peloponneso copias ingentes Syracusas trajicere paramus, ut eos nunc hostes experiamini, quos prius socios nullo jure contempistis.

LXXIV.

Syracusani Turco.

CUM gerendi belli fiducia adversum te arma sumpserimus, nil temere profecto aggredi in hostem videmur, Nam qui justus de imperio certant, promptiores ad victoriam redduntur.

LXXV:

Turcus Italiae Magistratibus.

CERMANIAM, Gallias & Hispaniam adversum nos concitasse
au.

audio, illisq̄ve vos ad bellum duces exhibuisse. Parum sibi quidem consulere videntur, qui temerè hostem in pugnam nullâ causâ laceffunt.

LXXVI.

Italiae Magistratus Turco.

Justissima nobis tecum belli causa est, qui sevissimi tyranni crudelitatem ac scelera detestantes, arma adversum te, velut publicum naturæ hostem, sumpsimus. Nec solùm cum Germanis, Gallis, Hispanis & universo occidente conspiravimus, sed liberas etiam civitates, per legatos adversus Turcorum gentem undiq̄ sollicitamus. Idcirco persuasi à nobis Christianorum opulentissimi Reges, coactis ad bellum viribus, populos in arma concitârunt, ut tot crudelitates tuas, furorem, cædes, libidinem, incendia, & urbium direptiones viciscantur, ac defensa hominum libertate, tuis ab injuriis orbem vindicemus. Justissima sunt arma, quibus
C publi-

publica omnium salus contine-
tur.

LXXVII.

Turcus Regi Ferdinando.

EGregias laudes tuas, & invicti
animi magnitudinem ac rerum
gestarum gloriam libentissimè
accipio, qui cum toties bello hostes
profligaveris, ea ratione vicisti, ut
victis posses ignoscere, nec ut justis-
simam ultionis iram hostis publi-
cus: verùm animi clementiam qui-
vis in te experiretur, & quod sum-
mum in Principe ducimus, fortuna
te adversa semper invictum præsti-
tisti, minùs etiam in secundis rebus
elatum. Hæc ideò libenter com-
memoravimus, quoniam (r) sæpè
etiam virtus in hoste laudatur.

LXXVIII.

Rex Ferdinandus Turco.

ET si pulcherrimum (s) esse du-
cimus, aliquo insigni merito
ab

Magni Turci.

SI

ab hostibus laudari, quod eorum
verius probamur testimonio & a-
micorum saepe iudicio fallimur. Nos
tamen verbis non tam gloriae volu-
ptatem quaerimus, quam ut pro-
prium ex rebus gestis laudem asse-
quamur. Hoc verò libentissimè
complector, eum me tibi videri,
quem simul hostes ob virtutem ad-
mirari, & cives ob iustitiam colere
possint.

LXXIX.

Turcus Siculis.

Carthaginienfium duces, qui-
bus olim cum Romanis de Im-
perio orbis diu certatum est,
multis vos saepe cladibus affixere,
quod partium studia secutos aegre
in fide retinerent. Nunc vero sub-
sidia Rhodiis ad Halicarnassum mi-
fisse audio, & commeatus omnes ad
belli usum navibus oneratis com-
portasse. Vos igitur hostes publi-
cos bello declarabimus, (t) ut, qui
C 2 nos

nos frustra læserint, temeritatis poenas luere cogantur. Non enim solum nobis tutum est, ab aliorum injuriis vindicare, sed hostibus etiam formidulosum.

LXXX.

Siculi Turco.

Nec contrate arma sumpsimus, quos nunc Rhodiis subsidia ad Halicarnassum misisse arguis, nec quempiam affecisse injuria videmur, si crudelissimo tyranno sociorum auxilia fidemque anteponimus. Noli igitur majorum perfidiam Siculis objicere, quã quidem ipse omnibus fidem datam ac jus jurandum semper violaveris. Nec eos minis perterrere debes, quibus promptius est ad arma injurias, quã ad verba referre.

LXXXI.

Turcus Alexandrinis.

Mercatoribus vestris, Alexandrini, Pontum omnem & Asiã

siam interdiximus. Nam cum Bithyniorum urbes a re alieno opprimerentur, legatos ad me Calliopolin quaestum misere, insuper negotiatorum usuras detestantes, quibus civitatum pecunia undique exauriantur. (u) Sanctius nobis (x) igitur visum est, ad multorum potius, quam ad paucorum, utilitatem respicere.

LXXXII.

Alexandri Turco.

ET si minimè ad nos pertinere videtur, tecum de privatis rebus cognoscere, si tamen eadem gesta fuerunt, aut tentata, qua scribis. nec gratiam a nobis, nec odium in hac re promereri. Cuique enim pro arbitrio res sua agitur.

LXXXIII.

Turcus Tartaris.

Multi saepe usu venit, ut, vel metu aliquo aut necessitate, in ali-

os plerunqve deteriores fiant. Vobis autem natura loci tribuit, omnium esse pessimos, qui, velut incondita vulgi barbaries, nullis legibus tenemini. Cumqve ad nos nec pecunias, nec in tempore legatos miseritis, illas quidem exhiberi nobis per vim debere ostenditis.

LXXXIV.

Tartari Turco.

STultum est profectò, te à nobis pecunias exigere, qui aliorum spoliis ac rapto vivimus. Atqve ab his legationem frustra expectas, qui non orandi studium, sed belligerendi curam foris suscipiunt. Mores præterea nostros jam admirari nequaquam debes, cum parum absint à ritu ferarum. Nam qui majorum instituto jus ipsum in armis habent, cædibus, prædâ ac rapinis pro legibus utuntur.

LXXXV.

LXXXV.

Turcus Atheniensibus.

Gymnasia vestra, Athenienses, quibus florentissimam rempubl. eximiasque Philosophiæ laudes assecuti estis, nos maximè hortari videbantur, (γ) ut urbi vestræ ignosceremus, cum propter majorum sapientiam ac dignitatem, tum etiam ob studia bonarum artium, quas simul inventas Athenis ac perfectas accepimus. Sed cum vestrum semper in me odium ipse considero, beneficiis quidem vos potius irritare, quam ad gratiam promptiores mihi reddere videor. Idcirco agros Eleusina incendio latè depopulati, à Piræo ad Megaras, in prædam militum divisimus, mox urbem etiam pari fato direpturi. Hostis enim clementiam sæpè vincit delicti magnitudo.

Athenienses Turco.

Non odio quidem aduersum te
 nitimur, (2) quid enim salva
 nobis libertate esse potest? Sed
 pro patriâ, liberis ac Parentibus,
 quibus omnia debentur, arma
 sumpimus. Nec tecum hostili-
 ter agere videmur, si nostra defen-
 dimus, cum tu aliena oppugnes.
 Sed quid te maxime deceat, respi-
 cere oportet, non quid ipsi deli-
 querimus. Ignovit Sylla Athenis.
 Bis etiam Alexander veniâ digna-
 tus est. Quæ verò tua dici victo-
 ria potest, si nos belli præmium
 perdidideris? Debes igitur nos po-
 tius in exemplum pietatis seruare,
 quò tibi facile omnium animos &
 (a) gratiam conciliabis; quam cru-
 delitatem, libidinem & furorem in
 captivos ostendere, quibus Græ-
 cos aduersum te odiò concitabis.
 Nos, quibus nulla ulterius belli fi-
 ducia

ducia est, nisi veniâ dignaberis, extrema fortiter audebimus. Quid enim pulchrius, aut in humanis usquam rebus jucundius esse potest, quam egregios cives & domesticos (b) pro salute omnium, sese intrepidos morti exponere?

LXXXVII.

Turcus Thebanis.

Direptionem Athenarum vos ægrè, Thebani, pertulisse audio, quos & belli socios & confiliorum in me participes, extitisse jam pridem persuasi sumus. (c) Vobis igitur, quibus ingens hostium metus incessit, idem rerum exitus ac fata debentur, paresque (d) cum Atheniensibus calamitates. Hæc ideò significavimus, (e) ut metu prius & scelerum conscientia, mox verò gravioribus suppliciis torqueamini.

LXXXVIII.

Thebani Turco.

DEletis Atheniensibus non solum Thebanis animos, verum & Græcis omnibus, quorum sæpè libertatis auctores extitimus, vires ad bellum auxisti, qui, armorum rabie versi in furorem, te quidem in tot scelerum pœnas ultrò repossunt. Solet etenim plerumque afflictis rebus ultima fati necessitas certam quoque miseris salutem polliceri. Nec facile tyranno parere consuescunt, qui aliis imperare didicerunt.

LXXXIX.

Tarcus Lacedæmoniis.

EXercitum, Lacedæmonii, quem ad Spartam oppugnandum sub Cleandro misimus, formidare vos audio: In quo peditum viginti millia delecta comparavimus. Equitum verò levis armaturæ

Magni Turci.

59

turæ, quorum etiam virtus in bello eximia, ac fides non tam sæpè nobis spectata est, quam hostibus formidolosa. Vos igitur, tot fortunæ calamitatibus affectos, ad rempublicam ac civium salutem, respicere oportet, ne, si pristina, majorum virtute bellum vobis supra vires adversum nos gerendum sit, mox temeritatis pænas luere cogamini. Pulchrum enim est gratiam in iis ab hoste promereri, quæ, si facere recusamus, ad ea mox tamen inviti compellimur.

XC.

Lacedæmonii Turco.

CLeandro apud Laconas cum universo exercitu nostro deditionem nosmet sponte fecimus. Tutius enim Lacedæmonii esse duxerunt, hostium consilia admittere, quum salubria vi-

C 6

de 3

60 ¶ *Epistolas Magni Turci.*

derentur; quàm arma experiri.
Nec visa nobis potior victoria
est, quàm nullo Reipubl. detri-
mento patriam ab incendio belli
servasse.

*Epistolæ Magni Turci finiunt à
Laudinio, Equite Hierosoly-
mitano, editæ.*



Turci

TURCI VERSUS
ad Pium Papam.

F *At a movent, stellasq; docent, avium-
que volatus:*

Totius subito malleus orbis ero.

Roma diu titubans magnis erroribus ejus

Decidet, & mundi desinet esse caput.

PII PAPÆ VERSUS
ad Turcum.

F *At a silent, stellasq; tacent, nil prædi-
cat ales.*

*Solius est proprium noscere fata
DEI.*

*(f) Niteris incassum Petri subvertere nas-
vem:*

*Fluctuat, at nunquam frangitur illa
ratis.*

M *Ahemetes (non ille A-
rabs Pseudopropheta,
qui conpiratione Jo-
hannis Antiocheni, Sergiiq; ve
Ar-*

Arriani, hæreticorum, & cu-
 jusdam Judæi Astronomi, Alco-
 ranum librum fecit: in quo an-
 no Domini DCXXIII. tempo-
 re Heracli Imperatoris, & Ho-
 norii primi, Papæ, Saraceno-
 rum hæresin conflasse legitur:
 de quo alibi latius;) Sed Tur-
 carum Imperator, cognomen-
 to Bojuc, id est, magnus dictus,
 ex Othomannorum familia,
 natus, his annis novissimis,
 tempore Friderici tertii, Roma-
 norum Imperatoris, & Sixti
 quarti, Romani Pontificis, au-
 ctis paternis viribus, eas, quas
 Laudinium provincias, civita-
 tes, ducatus, & regna enumeras-
 se supra vidimus; suæ tyranni-
 di subjecit, Bizantiumque, im-
 perialem, nobilissimamque ci-
 vilitatem, cruentissima bestia,
 cru.

crudelissimè invasit, Constantino & omni nobilitate, multoque Christiano populo interfecto. Hic filios duos, inter multos, legitimos reliquit, Baissetum natu majorem & Zalia-
 bum minorem, quem cum à paterno imperio excussisset, Baissetus, Imperator Constantinopolitanus unà cum filio suo creatus, post mortem Patris, tale ejus sepulchro Bizantii inscribi fecit Epitaphium:

Qui vicinumeros populos, tot regna, tot urbes
 Solus, & immensi qui timor orbis eram.

Me rapuit, que cuncta rapit, mors improba: Sed sum

Virtute excelsa ductus ad astra tamen.

Major Alexander non me fuit, Hannibal
 & non:

Enderit Ausonios tot licet ille duces.

Vici

Vici victores Danaos ; domuiq³ feroces,
 Chaoniae populos, Sauromatasq³ truces.
 Pannonius sensit, quã tum surgebat in ar-
 mis

Vis mea, quæ Latio cognita nuper erat,
 Arsacidae sensere manus ; has sensit Arabs-
 que,

Et mea sunt Persæ cognita dela duci.
 Mens fuerat bellare Rhodon ; superare su-
 perbam

Italiam ; Sed non fata dedere modum.
 Heu mihi ! Nam rapuit mors aspera, quæ-
 que sub alto

Pectore condideram sustulit (g) hora
 brevis.

Sic hominum fastus pereunt, (h) sic sche-
 mata, sicq³

Imperia, atq³ aurum, quicquid est orbis
 habet.



In Magni Turci, quas Laudini-
us, Eqves Hierosolymitanus,
vertit, Epistolas,

BREVES NOTÆ.

& quidem

I. In Præfationem.

*a) Opidum) ab ope, sive opibus de-
ductum unico p. soluta in oratione
scribendum esse, ex veteribus Gram-
maticis jamdudum eruditissimus
demonstravit Becmannus, Origin.
LL. Accidit autem, nescio quo-
rum incuriâ, ut non tantum bonis
in Autoribus, sed & in Lexicis, & li-
bellis quibusdam Grammaticis, ge-
minato p. scribatur Oppidum, quô
ipso teneriorem, cum iudicio care-
at,*

at, etatem facile decepi nemo non videt. Idem sentiendum de vocabulis: Comessor, Sollicitus, Suppellex, aliis, quæ extra verum, Comessor, Sollicitus, Suppellex, sed falso scribuntur. Monuimus idem in Programm. mense Majo 1677.

b *Nasum Rhinocerotis*) Versus est Martialis l. 4. 6. Est autem Rhinocerotis nasum habere idem, ac naso suspendere adunco. Horatius sermon. Sat. I. 6. 5. M. 8. 64. & Persius l. 1. 2. Qui unciis indulgere naribus eodem dicit sensu l. 40. & nasum crispare III. 87. Græcis *μύτη* *εἶδος*. Confer Cicer. epist. fam. XV. 19. fine.

II. In Argumentum.

c) *Turcorum*) Gentem vulgus Turcos, sed peritiores Turcas appellant, & hi Pomponium Melam, qui Claudii, Romanorum Imperatoris quinti, temporibus tres illos de Orbis situ libros edidit, autorem habent,

bent, quando Thyrfagetas & Turcas vastas incolere sylvas, ac venando ali scribit lib. 1. fine. Quorum à partibus Analogia stare videtur, ut, quemadmodum Persa, Geta, Sarmata sive Sauromata, Scythia; sic etiam Turca, non Turcus, dicatur. Leunclavius tamen in Historia Musulmana passim Turcos, Turgos, Zurgos, Jurcos, Jurucos & Tzurucos, i. e. pastores vagabundos, qui Græcis *Νουίδες* nominat. Obiter nota: Turca vastator est. Hinc Proverbi-um: Quà Ottomannicus transivit, ibi nec folia proveniunt, nec gramina. Crus. Turco Græc. VII. pag. 504. vel ubicunqve equus Turcicus ungulam impresserit, ibi gramen non crescit. Consult. Lansii Orat. pro Polon. pag. m. 373. Confer cap. IX. Barcla. in Icone animor. Nostri in epistolis Turcus ipsum, qui scripsit, scribive jussit, Tyrannum notat.

d) *Cognomen*) Coloniensis editio legit cognomenro.

e) *Ex auctis*) valde auctis. Plaut. Stich. II. 2. 32. Colon. & Lips. legunt auctis.

f) *Byzantium*) Hæc Urbs à Pausaniâ, Spartanorum Rege, condita, à Constantino postmodum gloriâ opibusque aucta atque renovata, & à nomine suo Constantinopolis dicta, circiter MDXL. annos sacratissimi imperii sedes, totiusque Orientis caput fuit. Nunc tamen, proh dolor! fœdissimæ atque impiissimæ Turcarum gentis imperio subjacet. Supplem. Curtian. lib. I. num. 33. edit. Reiherianæ. Hodie à Turcis Stampolda & Stampol. dici solet, ex Græco εἰς τὴν πόλιν, quod iter eò facientes respondere solent percontantibus. Urbis situm & Portam, præter alios, describit libro II. histor. suæ Zosimus, Christianorum omnium, ut eodem tempore Ennapius & Rutilius, hostis infestissimus. De
 anno

anno expugnationis ejus dissensus
 est inter autores. Anno Christi M.
 CCCC. LIII. factam dicit Helvicus
 S, stem. Chronol. Consentit historia
 Constantinopoleos Patriarchica
 Crusii, in qua sic legitur pag. 107.
 Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, ὅπῃ ἐπολέμησεν ὁ
 Σελτᾶν μεχεμέτης ταύτην τὴν Κωνσταν-
 τινῆ-πολιν, ἦσαν χεῖνοι ἀπὸ Χρυσῆ γυ-
 νήσεως χίλιοι, τετρακόσιοι, πενήντα ἑπτὰ,
 μαίω εἰκοστῇ ἐννάτῃ, ἡμέρα τρίτη. Ean-
 dem sententiam vide in Chronico
 Carionis, apud Dresserum, Calvisi-
 um in opere chronologico, Buchol-
 cerum in indice chronolog. ex Æ-
 neæ Sylvii epist. 159. Christianum
 Matthiæ theatro histor. mihi 1017.
 Kromajer Eccles. in Polit. p. 543, Ru-
 pert. observ. ad Synopsin Befoldi p.
 614. imprimis apud Leunclavium
 Histor. Musulm. p. 543. In Histo-
 riæ autem Constantinopoleos Poli-
 ticæ libro I. pag. II. legitur: Καὶ ἔτω
 γέγονεν ἡ ἀλωσις τῆς ἀδείης τῶν πολέ-
 ων

ων τούτης ἐν ἔτει 57) ξα^ω μηνὶ Μαΐω
 κθ^η, ἡμέρα τρίτη πρῶτῃ. Quibus è ver-
 bis Crusius editor annum M. CCCC.
 LII. evincit, testesqve producit Isi-
 dorum Cardinalem in epist. Sabelli-
 cum VI. ennead. 10. Gerhardum
 Mercatorem in Chronolog. tan-
 demqve Franciscum Philelphum
 lib. X. epistolâ Xenophonti filio
 scripta Mediolanô X. Cal. Sextil.
 1452. Confer annal. Svevic. Crusii
 XII. 2. p. 565. Animadvertit hoc
 Calvisius, opere chronol ad annum
 1453. pag. m. 795. quando *Conjectura*,
 ait quibus quidam moti hanc expugna-
 tionem in precedentem annum ponunt,
 nullius sunt momenti, nec digna, qua re-
 futentur. Imo ipse Crusius hac de
 sententia dubitare videtur VII. an-
 nal. Svevic part. III. pag. 309. Cur
 autem Alstedius in thes. chronol.
 p. 9. Constantinopolim anno 1454.
 captam esse scribat, non video; for-
 sitan à scurris, (sic Plautus assiduos
 cives

cives urbanos vocat) qui omnia se
simulant scire, nec quicquam sci-
unt, deceptus fuit.

g) *imperavit*) Lipsiens. legit: im-
perat.

h) *Laudinius*) Colon. Landinus.

i) *earum*) Colon. earum cum re-
sponsis latinas edidit.

III. In Epistolarum primam.

k) *Zancassano*) Zancassanus, aliàs
Ufun Chasan, i.e. Chasan longus
seu procerus, Rex fuit Persarum, qui
Mahometen II. bello tentavit, sed
bis ab illo victus est, anno nempe
1473 & 1474. quò etiam præ ira & in-
dignatione solito tristior morbum
contraxit, qui vitæ finem illi attu-
lit. Leunclav. Histor. Musulm. XV.
588. seqv. Hunc Turcicas vires
duobus vehementer attrivisse præ-
liis, sed tertio tormentorum multi-
tudine obrutum victorias superio-
res infelici corrupisse exitu, scribit
Melanchthon in chronico Cari-
on.

on V. mihi 653. Bellum hoc ad annum Christi 1472. refert Crusius Turco-Græc. l. 24. Regem verò Adam Olearius in Hodæporico V. 30. pag. m. 634. Hassan Padschah alio appellat nomine.

l) atq; divisisse, in Lipsiensi legitur: Utqve diviseris.

II.

m) *Ctesiphonem*) Ctesiphon hic urbis nomen est in Persia. Docet id Zosim. lib. 1. hist. pag. m. 3. De illa Johannes Tzetzes in chiliad. histor. anno Christi 1176. scriptis, chiliad. VI. init. ἡ κτησιφῶν τυχεῖν μὲν πόλις Περσίδεσσι μία.

n) *ex quo belli jure*) Lipsiens. Ut qui jure belli.

o) *Alexander Mag.*) Lipsiens Max. Coloniensis nudum ponit nomen.

IV.

p) *Bactrianos subegi*) Lips. & Colon. Bactrianosqve subegerim.

q) *Invinum*) In Coloniensi legitur: nimium.

V. r. m.

V.

r) *mifimus Ctesiphontem*) Colon. in
Ctesiphontem *mifimus*.

s) *Pyrrhum*) Colon. *Porum*.

t) Lips. *facile superarit*.

u) *ultra septingentas*) Lips. & Col.
totidemque pueros, ultra septin-
gentas.

x) *Metatoribus*) Col. *Mercato-*
ribus.

y) *laborat*) L. & C. *curet.*

VI.

z) *post: impedimento sine:*) *legun-*
tur in Colon. sequentia: Ut pote la-
scivæ Veneris facilia arma, vanæque
divitiarum ostentationes. Quæ de-
sunt in Lips.

a) *post: Contemnimus:*) In Colon.
sic legitur: Exemplo Alexandri ma-
gni, qui militum suorum acerba
paucitate promiscuam Darii multi-
tudinem strenuè superavit: nimi-
rum quod imperita multitudo &c.
quæ videntur addita præter neces-
sitatem.

b) *Saldanus*) Suldanus potius legendum, aut Sultanus. Vocabulum est Arabico - Turcicum, quod Imperatorem, Dominumve notat ex Ebraeo שלטון aut Arabico سلطان â Rad. שלט Arab. سلط dominatus est. Hinc Polon. Scholtys sive Scoltys, i. e. rusticorum praefectus, qui Germanis ein Schulze. Toti autem Orienti commune multis tribuitur dignitate praepollentibus, teste Hottingero Comp. theatr. Orient. part. III. c. 1. p. 112. quocum confer Busbeqv. epist. 144. Imprimis Turcarum tyrannus hoc nominis sibi vendicat, quasi solus & maximus Orbis Dominus. Hoc autem loco Sultanus Babyloniorum, sive Aegyptiorum (in Aegypto urbs erat Babylon, â Turcis hodiè Cair & Al Cair dicta, alia â Babylone Mesopotamiae) intelligitur sine dubio, cuius Turcus infra epist. 64. mentionem facit.

a) *aut prudentia*) Col. ut vel prudentiâ.
VIII.

d) *Tu verò*) Lipsf. & Col. Tu verò
tamen.

e) *Nobis*) Lipsf. & Colon. Si nobis
&c. Si nobis &c. Si tyro &c.

f) *Nec porrò*) C. & L. ac nemo.
IX.

g) *Pontifici*) Pontifices Mahometis
II. tempore vixerunt sequentes. Ni-
colaus V. ab anno 1447. Calixtus III.
ab anno 1455. Pius II. ante Æneas
Sylvius, ab anno 1459. Paulus II. ab
anno 1465. Sixtus IV. ab anno 1471.
usq; 1484. Horum cui literas mise-
rit Turcus, non constat. Quid si
ad Pium II. qui in fine epistolarum
Turci carmini respondet, scrip-
serit.

XII.

h) *vel libidine*) Lipsf. vel etiam ipsa
libidine.

XV.

i) *post cladem deliberatio*) Lipsf. post
cladem belli deliberatio.

D 2

XVI,

XVI.

k) *pro: tua ex dementia*) Colon. legit; Impudentissime.

XIX.

l) *pro: Genuensibus*) Col. Januensibus.

XX.

m) *propulsamus*) Colon. propulsumus.

XXII.

n) *sed nobis*) Colon. sed magis nobis.

XXIV.

o) *retulisse*) Lips. & Col. intulisse.

XXV.

p) *Tarsum*) L. & C. Tarsiam.

q) *Phreatis*) Col. Pheatris.

XXIX.

r) *serò*) In Col. non extat.

XXXVIII.

s) *et habebimus*) neq; in L. neque in Col. extat.

XXXIX.

t) *Post: cum Rectoribus*) legitur in Col. qui sentiant.

XL.

XL.

u) *Hostilibus*) Lips. & Col. *Hosti-*
bus.

XLII.

x) *Libertatem*) Col. *dignitatem.*

XLIII.

y) *affuit*) In Colon. *Obfuit.*

XLIV.

z) *gerendis*) Col. *in gerendis.*

XLV.

a) *quam ferre*) L. & C. *quam au-*
ferre.

b) *calamitatibus*) C. *tot calamitati-*
bus.

XLVII.

c) *Mittatis*) L. & C. *mittite.*

XLIX.

d) *multo post ad bellum cogi*) Col.
multas post injurias cogi.

L.

e) *Post: profundo:* legit Col. *par-*
tim etiam hostium conflictu pe-
riere.

LI.

f) *liberabunt*) L. & C. liberarent.

LIII.

g) *debetur*) Col. habetur profecto.

LV.

h) *quum quidem*) Col. quos quidem.

LVI.

i) *Mitylenei*) Lips. Bithynii.

LVIII.

k) *superari*) L. vitiose: separari

LXI.

l) *magnitudo par esset*) Ita L. & C. Nos autem *to* par omisimus.

LXIV.

m) *choum*) Col. Con.

LXV.

n) *credidimus*) Col. credimus.

LXVII.

o) *officium vos facere*] L. & C. id facere.

LXX.

LXX.

p) difficillime) Col. difficile.

LXXII.

q) a captivis) L. & C. præpositio-
nem A omittunt.

LXXVII.

r) quoniam) Col. quomodo.

LXXVIII.

s) pulcherrimum) Col. plurimum.

*Ferdinandus, cujus his in Epist. fit men-
tio, Rex fuit Hispania, nominis ejus V. co-
gnomine Magnus, Caroli V. Imperatoris
Avus maternus.*

LXXIX.

t) declarabimus) Col. declaramus.

LXXXI.

u) Undiquaq₃) in L. non extat.

x) sanctius nobis) Col. par nobis.

LXXXIII.

Epistolam hanc, quibusdam in
locis mutatam, uti olim expressa
fuit, hic adscribam integram.:

D 4

Quod

Quod multis sæpè usu evenit,
 (Col. Quod multis usu venit) ut
 vel metu aliquo aut necessitate in
 alios plerumque deteriores fiant.
 Vobis quippe natura loci tribuit,
 omnium fore pessimos, qui veluti
 incondita vulgi barbaries nullis le-
 gibus tenemini. Cum tamen ad
 nos nec pecunias, nec in tempore
 legatos (Col. cum tamen ad nos nec
 legatos, nec in tempore pecunias)
 miseritis, illas quidem exhibere
 (Col. illas exhiberi) nobis per vim
 debere ostenditis.

LXXXV.

y) videbantur) L. videntur.

LXXXVI.

z) pro nitimur Col. legit: in ti-
 more.

a) & gratiam) L. & C. ad gratiam.

b) atq; domesticos) superfluum mi-
 hi videtur in Lips.

LXXXVII.

c) persuasi sumus) L. persuasimus.
 Col.

Col. & Crusius in Turco, Græc. p.
498. intelleximus.

d) *paresq; cum Atheniensibus*) L. &
C. *paresq; Atheniensibus.*

e) *significavimus*) Crusius loco jam
citato præcavimus.

IV. In Additamenta.

f) Distichi hujus autorem Inno-
centium IV. circa medium seculi
XIII. Pontificem, facit Simon Majo-
lus, illudq; ad Fridericum II. Rom.
Imperatorem, qui, quinq; etiam
anathematis fulmine petitus, maje-
statem Imperii strenuè asseruit, mi-
sisse scribit parte 1. dier canic.
pag. 44.

g) *sustulit*) Lips. vertit &.

h) *percutit*) Lips. & eunt.





COROLLARIA.

I.

MAhometus II. Amurathi
II. Patri successit mortuo,
An. Christi 1450. qui non
Turcarum solum, quorum fa-
ctus est Rex, sed hominum
sceleratissimus fuit omnium.
Namque nec DEI credidit,
quam Metaphysici vocant, exi-
stentiam; nec Patriarchas mo-
dò & Prophetas habuit ludi-
brio, sed & ipsum Mahome-
tum, legislatorem suum, falsi-
tatis arguit & mendacii. Hunc,
postquam Christianis XII. re-
gna

gna, & in illis ducentas Urbes atque opida ademisset, tormina ventris sustulerunt e medio, & excruciatam in tartara miserunt bestiam, cum vixisset annos LVIII. & regnasset XXXI. Multa crudelitatis edidit specimina, quorum unum alterumve adscribere non pigrabimur. Maxime tam viros illustres, quam facta illorum cognoscendi fuit cupidus, hinc plurimas Græcorum æque ac Romanorum historias in suam verti iussit linguam. Delectatus etiam pictura à Venetis, ut excellentem sibi, cujus opera in depingendis uteretur imaginibus, pictorem mitterent, per literas petiit. Miserunt illi Gentilem Bellinum, artis suæ peritiss.

ritissimum, qui, à Turca pin-
gere inter alia caput decolla-
tum iussus, exhibuit illud ele-
gantissimè. Turcus autem,
errati quippiam continuo ani-
madvertens, illudque pictori
liquidò ostensurus, extemplo
cuidam, qui circumstabant,
satellitum, in conspectu Belli-
ni, caput jubet amputari, ei-
que in abscisso errorem de-
monstrat digito. Confer Man-
lii loc. comm. de quinto præ-
cepto, pag. mihi 288. cum Li-
psii notis & exemplis politicis
pag. m. 65.

II.

Idem Tyrannus, cum Con-
stantinopolim obsideret, civi-
um quidam, Constantino VIII.
Imperatori infensus, magna
vi auri, & unius Mahometi filia-
rum

rti nuptiis, prodicionem urbis
 pactus est. Potitus urbe Maho-
 metus anno salutis 1453. 4. Cal.
 Junii, qui Christianis omnibus
 funestus quotannis esse debet
 dies, magnam auri pondus
 afferri iussit in medium, &
 conversus ad proditorem, qui
 inquit, filiam meam uxorem
 tibi, cum dote, quæ præsens
 est, deposcis, cutem hanc, cum
 Christianus sis, exuas oportet,
 ut Mahometicâ dignus
 sponsa fias. Quô dicto car-
 nifex extemplo adest, qui ho-
 minem excoriatum, postquam
 cineres cum sale calidis in-
 spersisset vulneribus, lecto mox
 cooperit, quasi nova cutis hac
 illi ratione succrescere posset.
 Sic dignas perfidiæ poenas à
 truculentissimo tyrannorum

proditor tulit neqvissimus.
 Cuspin. in vitâ Constantini
 VIII. Imper. Quam tamen
 crudelitatem alii Solimanno
 II. adscribunt.

III.

Sed & tertium, cum facere
 huc videatur, non omitten-
 dum est exemplum, quô ca-
 ptivam homo execrandus ma-
 ctavit sine causa, & inexpia-
 tam proh dolor! misit ad or-
 cum. Redactâ nimirum in
 potestatem, ut dictum est, Con-
 stantinopoli, virgo quædam
 venit in prædam formâ sin-
 gulari, Irene nomine, annum
 ætatis agens XVII. Obtulit
 miseram Tyranno è ducibus
 qui ceperat, cujus aspectu, mo-
 rum suavitate & elegantia vul-
 neratus adeò lascivus fuit ju-
 ve-

venis, ut nihil, nisi Irenen.,
 dies noctesq; cogitaret, ejus sine
 consuetudine vitā sibi omnem
 acerbam putans. Usurariam
 habuit per triennium, ad mi-
 nistrationem interim imperii
 Bassarum commisit fidei, non
 sine summa civium & subdi-
 torum offensione, quos omni-
 bus, quā plurimūm lucri ut
 facerent, injuriis onerabant.
 Janizaris etiam mollitiem il-
 lam & desidiam ægrè ferenti-
 bus, nemo tamen terocis ad-
 eò ingenii Principem, puel-
 lam qui Græcam tam efflictim
 amabat & perditè, ut imperi-
 um citius, quā scortum de-
 certurus videretur, monere
 audebat, metu supplicii capi-
 talis. Omnes igitur abalie-
 nari ab illo, ac Imperatorem
 alium,


alium, qui potentiae non solum conservandae, verum etiam augendae idoneus esset, tacitis à Deo votis flagitare. Verùm quid tandem? Fortè in horto obambulabat Mahometus, cum accederet Mustapha, heros fortissimus, qui veniam praefatus, quò res in statu sint, edictat, omnium in ipsum odia ardere, rempubl. labefactari, majestatem vili pendì, dum ipse amoribus Graecae irretitus puellae curam imperandi omnem vel remiserit, vel penitus abjecerit. Etiam atque etiam, quò te praecipitet, perpendat, & omnibus sibi modis caveat, ne degenerando à majoribus gloriae illorum subactis tot regnis acquisitae maculam adpersisse videatur. Plura
fue.

fuerunt, quæ prolocutus est hanc in sententiam. Quibus Imperator auditis æstuare animo, & quid consilii caperet, non satis videre; cum hinc imperium, inde mulier ipsum ad se traheret. Respondet demum; Autaci monitoris licentiæ, (cujus secum educati fidelem semper operam expertus esset) veniam se impertiri: Ceterum modicò, tum ipsi, tum aliis, appariturum intervallo, se, si velit, frenare animum, & cupiditatem coercere posse; curaret interim, ut Bassæ & Duces militares, qui Constantinopoli, postridiè in aula comparerent omnes. Facto hoc ipse prandet suis cum deliciis, atque ut comat se atque exornet quàm festivissimè, jubet. Ita cum pellice, quam

quam ex ovo prodiisse jurasses
 non immeritò, progreditur,
 diu expectatus, illamq; levâ du-
 cens, ubi à Proceribus, quò par
 fuit, honore exceptus est, con-
 sistit in medio, truci etiam co-
 ronam vultu obiens, quis, si
 tantâ capiatur pulchritudine,
 jure sibi vertere possit vitio,
 quærit: neminem enim for-
 mam ejusmodi regiam intue-
 ri posse, qui non admiretur il-
 lam, & vel quadam cum jactu-
 ra exosculari cupiat. Hinc, ut
 ad Principum gratiam loqui au-
 licorum mos est, omnes ejus
 excusare factum, & meliorem
 in partem interpretari, formâ
 non tam visendâ, quam admi-
 randâ, obstupefacti. Pergit Im-
 perator: At manifestum faciam
 vobis hodiè, nullâ adeò re ine-
 scari


scari me posse, & implicari, no-
 minis ut Osmanici, & Majo-
 rum gloriae dememinerim. Di-
 xit, & sinistra capillos appre-
 hendens infelicissimæ educit
 gladium, unicoq; ictu. in con-
 spectu omnium, obtruncat non
 opinantem, adjicitq; latro ne-
 farius: Cognoscitis, opinor,
 ecquid Imperator vester affe-
 ctibus queat imperare. Moxq;
 bellum apparans Belgrado se-
 obsidendo accingit. Vide Crus.
 annotat. ad lib. i. Turco Græc.
 p. 101. & Pontan. in Bellar.
 attic. p. 668.

















44 ¹²/_{h, 13}


ULB Halle
005 967 791


3



VD 77







2

Magni Turci,

h. e.

MAHOMEDIS SECUNDI,

Turcarum Imperatoris,
quæ extant

EPISTOLÆ,

à

CL. LAUDINIO,
quondam editæ,

Jam verò

in Gratiam studiosæ Juventutis
cum brevibus notis diversisq; lectio-
nibus luci denuò expositæ
& revisæ.

LIPSIÆ,

Sumptibus Michaëlis Güntheri,
Bibliopolæ Dresdensis,
An. 1689.